

SECTIO V.

De Effectu Juris Decimandi.

SUMMARI A.

188. Notatur effectus Juris Decimandi. 189. & seq. Non possunt Decima auctoritate propria fidelibus extorqueri. 191. & seq. Solvenda tamen sunt, esto non petantur. 193. Prædiales sunt præstanda post fructuum separationem. 194. Animales, quando animalia non amplius indigent lacte maternò. 195. Personales sine sine cuiuslibet anni. 196. & seqq. Fideles non

tenentur suis sumptibus Decimas in horrea Parochorum inferre. 201. & seq. Pro fructibus, solo coherentibus, non datur rei vindicatio. 203. & seq. Pro fructibus separatis & decimatis competit rei vindicatio. 205. & seq. Pro indecimis actio communi dividendo. 207. Adstruuntur remedia in petitorio; & 208. Possessorio iudicio.

§. I.

Quomodo Decimæ exigantur, & solvantur?

188 **E**ffectus Juris Decimandi ex parte Decimatoris est facultas exigendi, ut fructus decimabiles separentur à corpore, & ex illis decima pars ipsi relinquatur. Effectus autem ex parte fidelium debitorum est obligatio, separandi fructus à corpore, & decimam partem relinquendi. Ubi
189 **S**crutaberis I. possitne Decimator auctoritate propria Decimas sibi debitas invadere, ac vel fructus indecimas decimare, vel jam decimatos invicis extorqueri?
190 **R**esp. cum P. Pirhing de Decim. num. 96. P. Wex de Decim. quest. 8. num. 12. negativè. Ratio est: quia non tantum res alienas invadere, sed etiam proprias à possessore renitente vi privatà extorquere non licet per textus

in cap. in literis 5. cum 2. seqq. de Rest. spoliat. l. si quis in tantam 7. Cod. Unde vi.
Scrutaberis II. sintne solvendæ Decimæ, 191 tamen si non petantur à Decimatore?
Resp. affirmativè. Panormit. in cap. cum homines 7. de Decim. n. 3. & 7. Gonzalez ibid. num. 6. Moneta cap. 6. à num. 21. Wex q. 7. num. 5. ubi de communi & certa testatur. Ratio est: quia debitum, ad certum tempus 192 à Jure vel homine restrictum, absque petitione creditoris est solvendum: eò quòd dies pro homine dicatur interpellare cap. ult. in fine de Locato l. in emphyteuticariis 2. Cod. de Fure emphyteut. l. magnam 12. Cod. de Contrah. stipulat. Sed debitum Decimarum est restrictum à Jure ad certum tempus, ut statim dicemus. Ergo &c.

§. II.

Quandònam solvendæ sint Decimæ?

193 **D**e tempore solvendi Decimas tenendum est discrimen inter reales & personales. Reales vel sunt prædiales, vel animales. Prædiales solvendæ sunt statim, ac fructus à solo separati & collecti sunt per cit. cap. cum homines 7. de Decim. ubi Gonzalez n. 6.
194 **A**nimalis solvendæ sunt, quando animalia non amplius indigent lacte & auxiliò maternò, prout DD. communiter ob summam æquitatem, quæ suadet, ut Decimæ animalium possunt Decimatori commodum afferre, tradunt cum Gonzalez d. num. in fine. Moneta cap. 7. num. 14. Wex q. 7. n. 3.

Decimæ personales in fine cuiuslibet anni 195 commodissimè solvantur: prius liquidem nec de illarum quantitate vel qualitate certitudo haberi potest; nec, si certitudo haberetur, utile foret Decimatori, partialia solutiones, quæ multis incommodis censentur, obnoxia, recipere. Panormit. ad cap. pervenit 5. de Decim. sub n. 3. Gonzalez d. l. Moneta d. cap. n. 10. ubi tamen in num. 13. post Butrium in cap. ad Apostolica in fin. de Decim. tanquam certum advertit, Decimatorem teneri recipere Decimas intra annum, si offerantur.

§. III.

Debeantne Decimæ sumptibus fidelium ad domus, horrea, vel cellas Decimatorum deferri?

196 **A**ffirmant Panormit. ad d. cap. pervenit 5. sub n. 3. & multi cum ipso. Negant Wagnergere ad cap. cum homines 7. Schambogen ad tit. de Decim. n. 46. Wex d. quest. 7. 197 **n**um. 1. & alii. Affirmantes se fundant in illo textu Malachie 3, inferte omnem Decimam in horreum, & sit cibis in domo mea. Cui succi-

nunt textus in cap. revertimini 65. XVI. quest. 1. cap. decimas 1. ead. q. 7. Negantes econtra fundamentum in eo collocant, quòd in reicitatis textibus clarè non exprimitur obligatio, tam rigorosa, quòd scilicet ipsismet fideles debeant inferre Decimas horreis, saltem cum propriis sumptibus; proindeque non de-

199 **B**eat adstrui. Unde etiam, seclusa consuetudine, negativa est probabilior; ac satisfaciunt fideles, si moveant Decimatorem de Decimis jam paratis; nec tenentur ultra quid gratis facere. Layman Theol. Mor. lib. 4. tit. 6. cap. 5. n. 2.

Interim, ne fraudes in decimatione committantur, potest Decimator prohibere, ne domini prædiorum vel colonifructus ab agris avehant, sine ipsius præfatu & consensu. Moneta de Decim. cap. 7. num. 2. Pirhing n. 94. Wex num. 2.

§. IV.

Quænam actiones & remedia competant Decimatori?

201 **U**T Decimatorem possint Decimas exigere cum effectu, varia Juris remedia & actiones illis competunt, tum ratione fructuum decimabilium, tum ratione ipsius Juris Decimandi. Ratione fructuum interest, num adhuc coherent corpori; num separati sint. 202 **S**i coherent; non competit Decimatori jus in fructibus, nec inde resultans rei vindicatio: cum usufructuario quoque, cui Decimatorem assimilavimus in num. 12. dominium non competit in fructibus, solo coherentibus §. ii. vero 36. Instit. de R. D. l. qui scit. 25. §. 1. ff. de Usur & fruct.
203 **S**i fructus separati jam sint; refert, an simul decimati sint, an indecimati. Si jam decimati sint; competit Decimatori dominium, sicut usufructuario in fructibus perceptis per citatos textus; possuntque proprietaria ejusmodi fructus vindicari, ad quemcunque possessorem devenerint per cap. pastoralis 28. de Decim.
204 **E**t licet Decimatori fructus needum traditi supponantur, at tamen non carebit dominio: vel quia dominium acquiritur Ecclesie, cujus nomine Parochus accipit Decimas, sine traditione l. ut inter 23. in pr. Cod. de SS. Eccl. vel quia possessori fundi nomine Decimatoris fructus separatos possedisse censetur arg. cap. cum non sit 33. de Decim. P. Wex de Decim. q. 8. num. 12.

Si fructus indecimati, nec à reliquo cumulo lo sunt separati, non competit equidem Decimatori dominium separatum ac pro indiviso arg. l. si in rem 6. ff. de R. V. urpote cum res certa & determinata non sit: competit tamen ob communionem fructuum dominium commune ac pro indiviso, indeque resultans actio communi dividendo arg. l. per hoc 4. in princ. ff. Communi divid. Quod, licet multi negent 205 cum P. Friderich num. 628. & num. 638. at tamen ex cit. cap. pastoralis 28. & cap. cum non sit 33. videtur patenter erui, ubi dicitur, fructus indecimatos ad quemvis possessorem cum suo onere transire; sicque innuitur, inesse fructibus indecimatis aliquod jus reale, nec aliud quam con-dominium.

Quòd si de ipso Jure Decimandi lis vertatur, 206 refert, an agatur iudicio petitorio, an possessori. Si petitorio; Decimatori competit actio tum confessoria contra omnes, qui ipsum turbant in usu & exercitio Juris Decimandi; tum negatoria adversus omnes, qui sibi Jus Decimandi in illo districtu asserunt arg. §. aequè si 2. Inst. de Alt. Si agatur possessori, 207 datur interdictum tam retinentiæ quam recuperandi & reintegrandi possessionis arg. cap. licet 9. in fine de Probat. cap. sollicit 2. cap. conquerente 7. de Rest. spoliat. Confer tractatum nostrum de Jurisdic. cap. 1. à n. 213.

SECTIO VI.

De Primitiis & Oblationibus.

SUMMARI A.

209. Primitiarum descriptio. 210. Sublatio. 211. Oblationum natura. 212. Earum finis. 213. Casus de Sacerdotibus; Primitias celebrante.

§. I.

De Primitiis.

209 **A**ffines Decimis sunt Primitie, seu primi fructus ex rebus fertilibus, & primogenita ex animalibus, quæ de Jure Communi præstandæ sunt parochis, in quorum parochia sunt prædia decimabilia, prout censet Card. de Luca de Decim. disc. 13. à n. 5. Rota Rom. in rec. p. 6. dec. 261. non quidem singulis annis, sed semel; nec totaliter, sed tantum quo-

ad partem quadragesimam vel sexagesimam juxta cap. decimam 1. de Decim. & ibi Gonzalez num. 4. Cum autem hodiernò evò 210 Primitiæ desierint esse in usu; prout testis est P. König ad tit. de Decim. n. 22. non juvat illi ulterius immorari. Qui plura appetit scire, adeat cit. Gonzalez P. Engel ad cit. tit. n. 60. & seqq. P. Pirhing d. i. à n. n. 169.

§. II.

De Oblationibus.

211 **A**ffines quoque Decimis sunt Oblationes; seu dona & munera, quæ fideles offe-

runt Ecclesiis, Altaribus; Imaginibus, non quidem ex aliqua obligatione (seclusa enim Min 3